



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Lerna Malorum Omnium; Sive Gravitas, Et Damna Peccati Mortalis

Arias, Francisco

Monachii, 1648

Cap. XI. Ex beneficio Redemptionis magis, quàm ex alijs, peccati mortalis
grauitatem manifestam fieri.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46756](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46756)

Ex beneficio Redemptionis magis, quam ex alijs, peccati mortalis gravitatem manifestam fieri.

CAP. XI.

TAmetsi omnia diuina beneficia nobis peccati mortalis gravitatem manifestant, tamen primum quodque maximam ad hoc vim habet est beneficium redemptionis mundi, quod est, Deum hominem factum, & tormenta, ac mortem, ut hominem saluaret, passum esse. Cum vniuersi homines, magni, & parui, filij iræ, à Deo gratiâ separati, & à cælesti gloriâ propter peccatum originale ab Adam tractum exclusi, & qui vsum rationis habebant, inimici Dei facti, & ad æternam mortem propter actualia peccata condemnati essent; placuit Dei Filium nos misericordiæ oculis respicere, thronum Maiestatis suæ inclinare, hominemque fieri: & vniens humanam naturam cum suâ diuinâ personâ, assumpsit nostram mortalitatem, debilitatemque, & omnes nostras miserias

pœna
trig
reg
ni, m
catis
dans
pecc
diu
vitâ
Hoc
quor
man
& pr
tur m
tas. S
rebu
& m
cta, s
catu
nam
plur
Deu
mor
nam
test,
pœna

poenarum, atque doloris. Et postquam
triginta tres annos in hoc deserto pe-
regrinatus est, obtulit se sponte passio-
ni, mortique Crucis, ut homines è pec-
catis eriperet, satisfaciens pro eis, &
dans eis perfectum omnium, quæ per
peccatum introierant, malorum reme-
dium; utque iustificaret eos, & salute,
vitæque gratiæ, & gloriæ impertiret.
Hoc est beneficium: videamus nunc,
quomodo per illud peccati gravitas
manifesta fiat. Ex qualitate, efficaciâ,
& pretio alicuius medicinæ cognosci-
tur morbi, qui eâ curandus est gravi-
tas. Si enim medicina composita sit ex
rebus valdè pretiosis, efficacibusque,
& magno cum sumptu, ac labore fa-
cta, signum est, infirmitatem, cui appli-
catur, admodum gravem esse. Quod-
nam remedium pretiosius, quodque
pluris steterit, reperiri potest, quàm
Deum hominem factum, tormenta,
mortemque Crucis sustinuisse? Et quæ-
nam medicina efficacior inveniri po-
test, quàm sanguis Filij Dei? Clarum
F 4 est,

est, remedium nec posse maius esse, nec
 melius, cum sit infinitus Deus per
 unionem personalem homo factus; ne
 que carius constare potest, cum sit Deus
 crucifixus, & mortuus. Neque potest
 medicina potentior, & efficacior esse
 cum sit sanguis Dei hominis facti, qui
 est infinitæ efficaciam, habetque virtu-
 tem infinitam. Et quoniam certum est
 hoc remedium, & hanc medicinam
 etiam, ordinatamque esse ad medica-
 dum malum peccati, & ad animam
 culpæ infirmitate sanandam, con-
 quens est, ut malum peccati graui-
 mum, & maximū sit, quod esse queat
 & infirmitas culpæ perniciosissima,
 maxima, quæ cogitari possit; utque
 ius peccati, & huius culpæ grauitas
 aliquo modo infinita, quandoquidem
 Deus æterna Sapientia remedium
 finiti valoris, & infinitæ efficaciam
 medicandum hoc malum, & cura-
 dam hanc infirmitatem ordinauit.
 Sanctus Bernardus formauit hanc

tio-

tio
 tion
 asti
 ban
 Vin
 sub
 rios
 A
 vul
 Sap
 Chr
 mor
 qua
 vere
 na
 cell
 qua
 tur
 Dec
 qua
 gus
 tor
 per
 Do

tionem hifce verbis: *a* Ex considera-
tione remedij, periculi, & morbi mei
astimo, & sentio quantitatem. Nescie-
bam malum meum, & ecce mittitur
Virginis Filius, Filius Dei Altissimi, &
inbetur occidi, ut vulneribus meis pre-
tioso sanguinis illius balsamo medeatur.
Agnosce, ô homo, quàm gravia sunt
vulnera, pro quibus, secundum divinæ
Sapientia ordinem, necesse est Dominum
Christum vulnerari. Si non essent hæc ad
mortem, & mortem sempiternam, nun-
quam pro eorum remedio Dei Filius mo-
reretur. Ex magnitudine quoque pœ-
næ, & ex personæ, quæ illam patitur,
celsitate cognoscitur culpæ gravitas,
quæ tali pœnâ punitur, & compensa-
tur. Iam quæ persona celsior esse potest
Deo? quæ pœna potest esse maior,
quàm Deum hominẽ factum pati fri-
gus, nuditatem, fame, lassitudinem,
tormenta, & mortem in Crucis? Magno-
perè peccati gravitatem manifestant.

F 5 poenæ

a D. Bernardus serm. 3. in natali
Domini.

pœnæ, quibus illud Deus in hac vita
 punijt, videlicet aquarum diluuiò, in-
 cendio ignis, apertione terræ homi-
 nes viuos deglutientis, ferocitate cru-
 delium bestiarum eos dilacerantium
 crudelitate inimicorum, qui atrocibus
 tormentis vitâ ipsos expulerunt
 magisq̃ue eandem manifestant pœnâ
 inferni, quibus Deus peccata punit in
 alterâ vitâ, quia cum immensæ sint
 sunt etiam æternæ; & cum animæ illi
 sint, quæ iam quinquies, & sexies mil-
 le annos in ijs versantur, videatq̃ue
 Deus pati illas, & ardere in illâ abyssò
 ignis, non eas inde liberat, nec va-
 quam liberabit, quòd pœna nullum
 habitura sit finem. Verùm licet hoc
 ita sit, vti diximus, de pœnis vitæ hu-
 ius, & maximè de pœnis inferni, ea
 grauitatem peccati mortalis manife-
 stare, tamen multò ampliùs illam ma-
 nifestant pœnæ, tormenta, & mors
 Crucis, quam Christus ad satisfaciend-
 dum pro illo passus est. Nam quò pra-
 stantior, maiorisq̃ue dignitatis est per-
 sona,

sona, quæ pœnam, ac iustum suppli-
cium pro aliquâ propriâ, vel alienâ
culpâ patitur, quoque maior est pœ-
na, quam patitur, hoc grauior est cul-
pa, propter quam patitur. Atque ita
quòd talis persona, qualis est Dei Fi-
lius (qui infinitæ Maiestatis, & infini-
tæ dignitatis est) talia tormenta, igno-
minias, mortemque propter hominis
peccatum passa sit, vt pro ipso satis-
faceret, ac solueret; quòdque nolue-
rit æternus Pater homini peccatum
dimittere, nisi naturalis eius Filius ho-
mo factus tales pœnas pro illo pate-
retur, argumentum euidentis est, pec-
cati gravitatem maiorem esse, quàm
quicquid de eâ dici, cogitariue potest,
vereque infinitatem quandam habere,
siquidem pœna, qua illud punitum
est, est moneta pro illo expensa, habet
valorem, precium ac meritum infini-
tum. *a* Præcepit in lege Deus, vt pro
mensurâ delicti esset & plagarum modus,
vtq; *b iuxta mensuram, estimationemq;*

F 6

pec-

a Deut. 25, 2, b Leu. 5, 18,

peccati, esset valor, ac pretium sacrificij pro eo offerendi. Delictum ergo quod talem pœnam meruit, & peccatum, quod tali sacrificio secundum diuinæ sapientiæ, iustitiæque ordinem indiguit, quale fuit, ut per naturam impassibilis pateretur, & ille, qui est gloria, ac lætitia cæli, contristaretur, & ille, qui est supremus rerû omnium creatarum rex, à vilibus hominibus conspueretur, a lapis cæderetur, & illuderetur, quiq; immutabilis, & æternus est, spinis sauciaretur, virgis concideretur, & in Cruce perimeretur, clarum est, fuisse delictum sine mensura, & peccatum excedens omnem æstimationem, siquidem talis fuit pœna, quæ tale delictum expiatum est, & sacrificium, quod pro tali peccato fuit oblatum. Præter has rationes alia est, præquam ex huius beneficij magnitudine peccati grauitas colligitur, nimirum ista: Quantò maius est aliquod beneficium, altiorque persona, à quâ illud fit, tanto maior ei gratitudo debetur

& c
do
uer
illa
del
qua
tist
rim
idc
erg
tum
gita
illu
tud
tud
tis,
ben
esse
ced
tetu
Dec
val
men
E a
a

& consistit hæc gratitudo in exhibendo tali personæ magno respectu ac reuerentiâ, in conseruando magno erga illam amore, in magnâ ei seruandâ fidelitate, in placendo ei magnoperè, & quantum fieri potest, ipsa que vult, satisfaciendo in accepto beneficio, plurimi intra cor æstimando, magnisque idcirco gratijs ei linguâ agendis. Cum ergo beneficium redemptionis tantum, tanti que sit valoris, vt maius cogitari nequeat, & cum persona, quæ illud fecit, sit ipse Deus infinitæ altitudinis, ac dignitatis, sequitur, gratitudinem reuerentiæ, amoris, fidelitatis, & obedientiæ, quæ propter hoc beneficium debetur, incomparabilem esse, omnemque exaggerationem excedere. Sanctus Augustinus id confitetur his verbis: *a Habemus multa à Deo beneficia, propter quæ nequaquam valemus actioni sufficere gratiarum; tamen quòd nos oneratos, obrutosq; peccatis, & à contemplatione suæ lucis auersos, ac*

F 7

tene

a D. Aug. l. 7. de ciu. Dei c. 31.

tenebrarum, id est, iniquitatis dilectionem
cecatos non omnino, deseruit, misitq; nobis
Verbum suum, qui est eius vnicus Filius,
quo pro nobis in assumptâ carne nato, atq;
passo, quanti Deus hominem penderet, no-
sceremus, atque in illo sacrificio singulari
peccatis omnibus mundaremur, eiusq; sp-
ritu in cordibus nostris dilectione diffusa,
omnibus difficultatibus superatis, in a-
nam requiem, & contemplationis eius in-
effabilem dulcedinem veniremus, qua con-
da, quot lingue ad agendas ei gratias satis
esse contenderint? Ponderat his verbis
 S. Augustinus magnitudinem gratitu-
 dinis, cuius ob hoc redemptionis be-
 neficium Deo debitores sumus. Atque
 hinc peccati mortalis grauitas collig-
 gitur. Hoc enim illud est, quod istam
 gratitudinem impedit, & istum amo-
 rem, istam fidelitatem, istamque obe-
 dientiam, quam Deo propter hoc be-
 neficium debemus, tollit; & quod fa-
 cit, vt cum in Deum grati esse debere-
 mus, ingrati simus, & pro amore ergo
 eum habendo, ipsum offendamus, p-
 fide.

fide
 dâ
 con
 nefi
 con
 pui
 que
 in c
 uit
 stitr
 ber
 ing
 mu
 der
 uti
 tum
 ing
 le d
 xi v
 regu
 iecsf
 vos
 ut
 vos.

fidelitate, obedientiâque ipsi præstan-
dâ, mandata eius transgrediamur, &
contra eum rebellemus, & qui hoc be-
neficium maximi facere deberemus, id
contemnamus, nec eo vtamur. Eri-
puit Deus filios Israël ex Ægypto, eos-
que ab ipsorum inimicis, à fame, & siti
in deserto, & ab alijs ærumnis libera-
uit: cumque in terrâ promissionis con-
stituti essent, per Samuelem illos gu-
bernabat: & cum ob hæc beneficia,
ingrati essent, noluerunt ampliùs à Sa-
muele, quique ei in Sacerdotio succe-
derent, gubernari, sed à regibus, sic-
uti gentilium nationes. Fuitque tan-
tum in conspectu Dei hoc peccatum
ingratitude, vt iusserit eis à Samue-
le dici: *a Hec dicit Dominus: Ego edu-
xi vos de Ægypto, & erui vos de manu
regum, qui affligebant vos: vos autem pro-
iecistis me, & dixistis, nequaquam velle
vos regimen, quod ego dedi vobis, sed
vt regem temporalem constituam super
vos. Si tantum hoc peccatū fuit, quòd
cum*

a 1. Reg. 10. 18.

cum beneficia ista à Deo accepissent, non se ei gratos idcirco præbuerunt, sed tanquam ingrati, regimen Sacerdotij reiecerunt, ac regē postularunt quantum peccatum erit, quòd cum homines beneficio redemptionis è captiuitate peccati, æternæque damnationis erepti, & à Diaboli potestate omnibus temporalibus, & æternis malis liberati, & altissimis gratiæ, gloriæque bonis exornati, non agnoscunt tale beneficiũ, sed tanquam ingrati protantis misericordijs, Deum è suis amplexibus eijciunt, nec ab eo regi, nec ipsius voluntati obedire volunt, sed eius loco Satanam, tenebrarum principem in regem accipiunt, ei que velut regi ac Domino suo seruiunt, & obediunt. Non potest dignè explicari, quanta quamque insignis sit hæc improbitas. Audiamus S. Chrysostrum, qui diuinitus illuminatus eam ponderat his verbis : *a Cum ineffabilis quidem p[ro]p[ter] christi*

a D. Chrysostr. hom. 48. ad popul. de trinitate, tom 53.

ebritudo sit, & gloria nos diligentis Dei, nostra verò vilitas propter culpam maximam, quomodo non sumus infinità dignè pœnâ, tam viles & abiecti, à tam magno, & mirabili cum omni excessu dilecti, & in ipsius dilectionem procaciter agentes: Ille nostrorum non indiget, nec ita desistit nos diligere: nos autem eo plurimum egemus, & ne ita quidem ipsius veniamus charitatem, sed ipsi preferimus pecuniam, & hominum amicitias, corporisque remissionem, & gloriam illi qui nobis præfert nihil. Vnum enim habebat Filium; nec huic propter nos pepercit. Nos autem multa ei preponimus, & Satane præcepta Christi legibus preferimus, & nostram negligimus salutem, ve requiritæ preponamus opera ei, qui pro nobis omnia passus est. Quali veniâ sunt hæc digna? non merito foret gehenna, etiamsi dupla foret, ac tripla, milliesque tanta? Hæc omnia Sanctus Chrysostomus. Atque hæ sunt rationes in beneficio redemptionis fundatæ, quæ nobis peccati mortalis gravitatem mani-

mani-

manifestant, probantque, post incarnationem, & passionem Filij Dei, peccatum Fidelium, qui infallibilem huius beneficij Fidem habent, multò maius esse, cum sciant, quid Deus per hoc mysterium ad illud destruendum fecerit, & quòd nouam nobis odio habendi illud, fugiendique obligationem imposuerit. *a* Vt enim S. Paulus ait, *mortuus est Christus, pro omnibus hominibus, ut qui uiuunt, iam non sibi uiuant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit*; hoc est, ut ij, qui in hoc mundo naturalem vitam uiuunt, qui que uiuunt gratiæ vitam, in suà conuersatione, & in suis operibus, ac uerbis non sua propria commoda, & gustus, nec propriæ suæ voluntatis impletionem, sed in rebus omnibus gloriam Christi, beneplacitum diuinæ eius voluntatis, & impletionem præceptorum, consiliorumque eius querant; siquidem ille mortuus est ad liberandos ipsos à morte culpæ, æternæque

pœnæ,

a 2. Cor. 5. 15.

poenæ, & ad dandam eis gratiæ, æternæque gloriæ vitam in corporibus, & animabus, resurrexit.

Ex odio, quo Deus peccatum mortale prosequitur, nec non ex ijs, quæ ad destruendum illud fecit, eiusdem gravitatem apparere.

C A P. XII.

Bonitas malitiæ contraria est, & iustitia iniquitati; ideoque boni, ac iusti homines peccatum, hoc est, malitiam, & iniquitatem vehementer odierunt. *a* *Omnis, homo, inquit S. Ioannes, qui facit peccatum, iniquitatem facit; & peccatum est iniquitas.* Vocatur malum opus peccatum, quia deest ei reſtitudo, quam habere deberet, & vocatur *iniquitas*, quia contrarium est legi Dei, & vocatur *iniustitia*, quia contrarium est virtuti, quæ iustitia generalis dicitur. Homo bonus, ac iustus totum hoc, quod peccatum, & malitia est, odit. *b* *Qui diligitis Dominum,*

a 1. Ioan. 3. 4. *b* Ps. 96. 10.